

h. 87, u.

Ye
589

PIETATEM
TORGAVIENSEM

X2542439

V I R O
MAXIME REVERENDO ATQVE
AMPLISSIMO
M. IOANNI THEODORO
LINGKIO

ARCHIDIACONO CIVITATIS TORGAVIENSIS

DOCTISSIMO


NOVI MUNERIS AVSPICIA GRATVLATVS

COMMENDABAT

FRIDERICVS IMMANVEL SCHVVARZIUS



TORGAVIAE,
LITERIS RÜDELIANIS.



PRINTED
FOR A. VIKS
VIA
MAXIMILIANSTRASSE
AMSTERDAM
ALONNI THEODORO
LANGEKIO
ATTORNIANO CARLO FOMMERS
1800
WOLFFENBUTTEL
VERLAG VON
LITTE. G. B. S. P.





A. Ω.

Annus est decimus quartus, et quod excurrit, ex quo Prudentissimi Viri, qui rei publicae praesunt Torgauensi, optimis auspiciis, TE, Virum eximie pium et doctissimum, ad pietatem Torgauenses, ciues illos tvos honestissimos eosque sanctioris doctrinae cupidissimos, recte sancteque docendos, in dulcissimae gremium patriae TVAE Lipsia reuocarunt. Nec poenituisse illos consilii de TE, sacro muneri rite praeficiendo initi, cumulatissimae testantur laudes TIBI, nec immerito, consentiente bonorum omnium et animo et ore, tribui solitae. Non sine summa animi mei iucunditate memini, me in vrbe Torgauensi peregrinam adhuc et hospitem ex ore Viri cuiusdam et senio et meritis grauissimi commendationem TVI audire, mihi certe longe maiorem visam, quam si Grotius, Scaligeris et Salmasius TE doctiorem celebrasset. Forte enim a nobis aberas sacri muneris obeundi causa, cum sermo de TE incideret, et venerabilis ille senex candide fateretur, TE non tam esse virum probum, quam potius ipsam veterem illam germanam probitatem ore nostro hac aetate tantopere celebratam, tantopere desideratam. Ex eo sa-

* 2

ne

ne tempore TE vehementius amare coepi, magis suspicere, studiosius colere, et amicitiam TVAM ardentioribus votis expetere. Quae tamen mihi non tam experenda videbatur, sed potius statim contrahenda, quae enim TVA fuerat humanitas, statim in templo maiori Torgauensi, quod vix salutaueram, dextram mihi dederas fidemque. Sanctam igitur inter nos existimo amicitiam intercedere, sanctissimo in loco contractam, TVAQUE et pietate et humanitate magnopere confirmatam. Quamobrem TE non subeat mirari, VIR AMPLISSIME, TIBI me commendare pietatem, quam nisi TVA mihi perspecta esset pietas morumque sanctitas, TIBI certe non commendarem, eius enim commendatio nemini grata est, quam viro maxime pio. Torgauensi vero pietate quid TIBI optabilius, suauius meliusque videri queat, equidem non video, TIBI, qui Torgauiae natales debes, iuuenilis aetatis institutionem, beneficia, fortunam, sacri muneris auspicia, et hanc ipsam, quam TIBI gratulor, nouam, eamque amplissimam dignitatem. Poteram vero, cum de pietate Torgauensi TIBI commendanda cogitarem, materiam scribendi sumere copiosissimam vberissimamque, TVAQUE persona et eruditione dignissimam. Quis enim est, qui nesciat, vniuersum coetum Christianum, qua meliorum et puriorum est partium, initia pietatis euangelicae in articulis primo Torgauiensibus, et deinde Augustana Confessione consignatae ex vrbe TVA reperere? Quis est, qui ignoret, tot conuentus, totque colloquia summorum et Principum et Theologorum religionis vel explicandae vel defendendae vindicandaeque causa Torgauiae habita esse? Quis denique est, quem fugiat, in celebrandis extollendisque summis beneficiis diuinis, quibus sanctissima religio Christiana tam pristino nitore suo restituta, quam pace et securitate publica munita, quam denique egregius sanctam castamque doctrinam comple-

V

xis libris, publica et auctoritate et consensione scriptis receptis-
 que, aucta est, Torgauiam TVAM pietatem exhibuisse singula-
 rem ac praecipuam? Tot enim carmina saecularia in memori-
 am beneficiorum sacrorum diuinitus acceptorum tamque
 pia, sancta et religiosa cecinit, vt hac quoque in laudis parte
 nulli cederet vel vrbi vel regioni. Vides igitur, VIR REVE-
 RENDE, haud exiguam esse in rerum gestarum monumentis
 pietatis Torgauiensis memoriam, dignam certe quae saepius
 repetatur, dignam, quae perpetuo animis auribusque vestris
 obuerfetur, dignam, quae vnicuique ad imitandum propona-
 tur. Sed animus non est, earum rerum omnium, quae Tor-
 gauiae tanto sunt honori, quanto cuius pio oblectamento,
 alius repetere, et longa oratione persequi. Nec enim erudi-
 tionis gloriolam aucupor, aut eiusdem ostendendae causa
 scribo. Continebo potius me intra fines meos, qui, quam
 arcti sint, probe sentio. Afferam igitur exemplum Torgauien-
 sis pietatis non tam publicae, quam potius priuatae ad omnem
 posteritatis memoriam insigne, TVI-QUE rationibus accommo-
 datissimum, quod summi et eruditionis et pietatis laude viri
 animum miseris et aduersis rebus valde fractum mirifice erexit.
 Accidit id communi illi totius Germaniae praeceptorum PHILIP-
 PO MELANCHTHONI, quem cum fortuna aduersa conflitantem
 pusillo admodum animo interdum fuisse constat, quae res
 constanti et inuicto LVThERI animo saepe iocandi et ridendi,
 saepius confirmandi excitandique PHILIPPI locum dedit. Hoc ta-
 men consolandi officio LVThERVS olim exoluebatur pietate Tor-
 gauiensis, quae maiorem in confirmando PHILIPPI tristis et valde
 titubantis vim habuit, quam compositissimus et multis consola-
 tionibus instructus sermo. Rem omnem a VITO WINSHEMIO D.
 in oratione in funere PHILIPPI MELANCHTHONIS habita exposi-
 tam et ad legendum forte minus iniucundam in medium af-



feram, vt veritati historicae nihil temere a me additum dem-
 tumue esse appareat. „De uno, inquit, adhuc congressu,
 „qui inter nostros fuit, pauca quaedam dicam, et veniam
 „mihi dari peto repetendi nunc de homine carissimo morte
 „erepto ea, quae ipse viuus nobis dulcissimo sermone referre
 „solebat. Erat iussu principum Torgae in domo Parochi in-
 „stituta inter doctores nostrarum ecclesiarum primarios deli-
 „beratio difficillima. Aduersarii enim tunc pene iugulo no-
 „stro ferrum admouebant, et superior potestas, pacem, quam
 „toties nostri supplices petuerant, in libra aurificis, vt qui-
 „dam praestans et magnus vir dixit, nobis admericbatur, no-
 „strisque principes, et qui docebant, non leui de causa com-
 „mouebantur. Quapropter D. Martinus, et alii quidam do-
 „centes, Torgam conuocabantur, vbi tunc aula erat, vt in
 „medium confulerent, quid fieri vel non fieri posset. Exi-
 „stiment iam illi Heroes, qui nunc in tuto feroces sunt, qui
 „tunc Agon constitutus fuerit. Nam vt de minis taceam,
 „conatus certe et molitiones aduersariorum eiusmodi erant,
 „eaeque pericula nobis imminabant, quae nemo sanus facile
 „contemnere posset. Contra quae etsi principes animo vide-
 „rentur magno atque infracto esse, tamen quia ad multos pe-
 „riculum pertinebat, qui non pariter omnes animosi erant,
 „et magna vastitas imminere videbatur, paucis docentibus,
 „qui aderant, valde difficilis consultatio proposita erat. Se-
 „det igitur pauper et paucorum Senatus, a solo Deo auxili-
 „um orans, sperans, et expectans. Tandem post preces et
 „satis longum colloquium, PHILIPPVS defatigatus et moestus
 „surgit, erat enim paulum euocatus nuncio quodam interpel-
 „lante, quo dimisso, in reditu ingreditur conclaue, in quo
 „vna erant miserae mulierculae, Parochi et duorum Diacono-
 „rum coniuges ac paruuli liberi, quorum alii iam mammam
 su-

„fugebant, alii a matribus preces recitantes audiebantur. Ad-
 „stat et audit PHILIPPVS cum admiratione et magna delecta-
 „tatione, sicut solebat, puerorum balbutientes preces, me-
 „mor dicti: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem.
 „Et quod praecipue ipsum mouebat, videt ex Diaconorum
 „vxoribus vnam lactantem filiolum, et simul pastinacam in
 „prandium marito incidentem, atque audientem alterum
 „paruulum recitantem vsitatas preces, et inuocantem Deum,
 „Exclamat, o tres sanctos et Deo gratos labores! Ab hoc
 „spectaculo confirmatus animo, ac iam laetus atque alacris
 „in senatum redit hilari vultu. Excipit eum Lutherus, Quid
 „tibi PHILIPPE accidit, inquit, quod ita hilaris ad nos redis,
 „qui paulo ante tristior hinc exibas, responderet ille, ne simus
 „animo pusillo, Domini, iam enim vidi eos, qui pro nobis
 „pugnaturi sunt, qui nos defendent, quique contra vim
 „omnem inuicti erunt et manebunt. Querit Lutherus, qui-
 „nam sunt hi tam fortes duces ac milites? Parochorum no-
 „strorum et Diaconorum vxores, inquit PHILIPPVS, et paruuli
 „liberi, quorum preces iam audiui, quas Deus non est surdis
 „auribus auditorus. Neque eas adhuc neglexit optimus Pater
 „Domini nostri Iesu Christi, nec porro, vt speramus, negli-
 „get. Exceptus hic sermo est, vt felix et faustum omen, et
 „iam animis magis confirmati, statuunt id, quod iam pios et con-
 „stantes verbi diuini Doctores decebat, et illud ipsorum con-
 „siliium beneficio Dei salutare fuit Ecclesiis, et afflictionem,
 „quae imminebat, Deus clementer leniit”. Annum, quo haec,
 quae memoriae prodidit, gesta sunt, non addidit prudentissi-
 mus orator WINSHEMIVS; si quid igitur coniecturis dandum
 est, quae verbis WINSHEMII quodammodo firmentur, rem ab
 eo narratam anno MDXLV. gestam esse, affirmare non dubi-
 to. Interfuit prudentissimae et maxime piae huius Theolo-
 go-

gorum consultationi LVTHERVS, quapropter eam in huius in-
 cidisse tempora, vt existimemus necesse est. At obiit ille, vt
 constat inter omnes, non ita multo post exordia noui anni
 MDXLVI. die XVIII. Februarii, quo anno neque Torgauiae
 Principi Electori apparuit LVTHERVS, neque consultationem eo
 anno praesente LVTHERO de re tanti momenti habitam esse,
 in libris Historicorum Annalibus relatum legimus. Cacterum
 nec ita pridem ante initia iam tum gliscentis tristissimi illius
 belli Smalcaldici consilium illud Theologorum, quod laudat
 WINSHEMIVS, Torgauiae conuocatum esse, probabile fit illis
 oratoris verbis, quibus significat, superiorem potestatem, si-
 ue Imperatorem, pacem, quam protestantes tories supplices
 petierint, in libra aurificis iisdem admensum esse. Hanc in-
 super sententiam de tempore consultationis illius probabili ex-
 tra dubitationis aleam fere ponunt verba a VITO, consulto,
 opinor, adhibita, aduersarios tunc pene iugulo nostrorum fer-
 rum admouisse. Rem igitur protestantium in summum tum
 discrimen adductum fuisse, nec a casu suo procul abfuisse,
 cum synodus illa Theologorum Torgauiae haberetur, mani-
 festum est. Propius vero ab initiis belli Smalcaldici mille-
 simo quingentesimo quadragesimo quinto annus abfuit nullus.
 Et hic ipse annus tulit consilium Theologorum Wittebergen-
 sium, inter quos et LVTHERI et MELANCHTHONIS nomen legi-
 tur, de eodem, quod indicat WINSHEMIVS, argumento. Ti-
 tulus consilii illius est: *Der Theologen Rathschlag und Beden-
 cken, daß die aufgerichtete Schmalcaldische Einigung nicht
 abzustellen, sondern als nützlich und Gott wolgefällig weiter
 zu erstrecken sey*; Quod ad MELANCHTHONEM auctorem re-
 fertur a BALTHASARE MENCIO in *elogiis praecipuorum Docto-
 rum et Professorum Theologiae Wittebergensium*, et a MARTI-
 NO MYLIO in *Chronologia scriptorum PHILIPPI MELANCHTHO-*
 NIS,

NIS, vterque huic scripto annum MDXLV. designat, et vtriusque calculus se probavit summo grauiissimoque illarum rerum gestarum scriptori FRIDERICO HORTLEDERO, apud quem consilium illud legitur cum nominibus eorum, qui illi subscripserunt. Subscripserunt autem, quod me magis in sententia mea non dimittenda confirmat, MARTINVS LVTHER D. IOANNES BVGENHAGEN D. GEORGIVS MAIOR D. CASPAR CRVIGER D. PHILIPPVS MELANCHTHON. Habes pauperem et paucorum Senatum Torgauiae conuocatum, a solo Deo auxilium orantem, sperantem et expectantem, cui diuinitus quasi oblata est consolatio ex insigni illa Torgauienfi pietate. Vides eam in iis maxime conspicuam fuisse, in quibus maxime debebat, in publicis pietatis doctoribus, eiusdemque viuis exemplis, Pastore et Diaconis Torgauiensibus. Pium illum prudentemque Pastorem et Superintendentem Torgauensium, in cuius aedibus tum bono publico consulebant Theologi, fuisse GABRIELEM DIDYVM, si temporis, in quod incidisse consultationem illam arbitror, ratio tuo calculo probatur, haud facile dubitaueris. Diaconorum vero, etsi, qui fuerint, mihi haud constet, ea non minima certe laus est, eos pietatem cum Episcopo suo arctissimo amicitiae vinculo coniunxisse, et pias habuisse vxores, piosque liberos, quorum insigni pietate summus et Philosophus, et literator, et Theologus MELANCHTHON, at quantus vir! in summa tristitia, et omnium rerum metu, mirifice excitatus, et cum animo pene despondisset, tam egregiis consolationibus confirmatus est, vt tum demum omnem spem in praesentissimo certissimoque Dei auxilio ponere didicisse putandus sit. Poterat igitur Torgauienfis illa pietas in viro doctissimo efficere, quod nulla potuit philosophia, nulla ars humana, nulla eruditio.

**

Nec

Nec nulli ducendum est honori et laudi TVAE ciuitati, tam insignem virum eius pietatem victricibus armis principum et rerumpublicarum praetulisse, de eaque iudicasse plus in illa, quam in his inesse virtutis ac roboris. Ad tam piorum et sanctorum vrbs doctorum exemplum et mores principum et ciuium compositos esse, vti vero est simillimum, ita et exemplis et argumentis confirmari posset plurimis. Nunquam sine summo voluptatis sensu recordor illius pietatis in honestissimo viro, Torgauiensis reipublicae senatore GREGORIO HORSTIO conspicuae, qui dolore ex captiuitate et exilio principis sui IOANNIS FRIDERICI concepto, cui se totum dederat, intra paucos dies confectus fuit. De publica principum, qui vrbe Torgauia inprimis delectati sunt, pietate, cuius innumera fere documenta in hac vrbe edidere, cum inter omnes constet, nihil addam. Ab hoc tamen mihi temperare non possum, quin de nummo quodam pietatis Torgauiensis teste, a pio principe AVGVSTO cuso, pauca ex CHRISTIANO IVNCKERO, qui eum in *vita LVTHERI nummis atque iconibus illustrata* tabula decima septima et octaua exhibet, adiciam, propterea quod insigne continet publicae pietatis monumentum TVAE ciuitatis honori positum. Descriptionem nummi ipsis IVNCKERI verbis subiiciam. Altera facies nummi, qui e maximorum numero est, exhibet *Augusti Principis Electoris Saxoniae, et IOANNIS GEORGII Principis Electoris Brandenburgici iconas; superius legitur: CONSERVA APVD NOS VERBUM TVVM DOMINE. infra: AVGVSTVS D. G. DVX SAXONIAE ET ELECTOR. Altera vero nummi facies iconem exhibet Augusti armati, stantis in rupe, cui adscriptum: SCHLOS HARTENFELS, tenentisque sinistra manu gladium, dextra libram, in cuius lance, quae deprimitur, Iesus puer sedet, monstrans*
ad

ad verba superscripta: DIE ALLMACHT. in altera vero lance, cui Daemon insidet, quatuor conspiciuntur viri omni nisu lanceam deprimere conantes, addita explicatione: DIE VERNUNFT. Supra apparet Deus pater in nube, et velut his verbis alloquitur Electorem: IOSVA, CONFIDE, NON DERELINQUAM TE. Subtus legitur: APVD DEVM NON EST IMPOSSIBILE VERBUM VLLVM. LVC. I. CONSERVA APVD NOS VERBUM TVVM DOMINE. 1574.

O egregium Torgauensis pietatis monumentum, dignum, quod ab afflictis hoc potissimum tristissimo tempore Torgauensibus viris attentis oculis animisque consideretur, continet enim duo consolationum genera afflictissimis rebus Torgauensibus leniendis appositissima, digna, quae aureis literis in omnium Torgauensium civium cordibus excribantur, alterum alloquio Dei expressum: *Confide Torgauia, non derelinquam te*, alterum eloquio Dei comprehensum: *Apud Deum non est impossibile verbum vllum*. Ita vos Deus amet, confirmet, erigat, consoletur! tu vero, MAXIME REVERENDE LINGKI, tanta pietate, quanta eruditione clare, macte virtute tua, nouo Archidiaconi in vrbe patria munere tibi diuinitus, legitime et rite demandato fungere, auxilio atque amore Dei et patris Domini nostri Iesu Christi fretus. Equidem dudum mihi persuasi, te verum et vitium exemplum esse antiquae illius Torgauensis pietatis, et hanc ipsam ex nouo tuo munere nouum ornamentum, et noua eaque vberissima nacturam esse incrementa. Deus Optimus Maximus, cui, vt certo scio, te rotum a pueritia consecrasti, cumulet te donis spiritus sancti abundantissimis, noui muneris auspicia tibi fausta et fortunata esse iubeat, te, vitam et domum tuam in luctuosis his et funestis temporibus et rei-

QKye 589

xii

reipublicae calamitatibus tueatur, fructus pietatis TVAE TE
percipere copiosissimos dulcissimosque largiatur, ut coetui
sanctiori quam diutissime magnae sis vilitati, ordini TVO
ornamento, ac TVIS et meis parentibus solatio! Vale!

scribebam Grimmae die XIV. Maii A. R. S. H.

MDCCLX.



n. 10



8.87.11.

Ye
589

X.2542439

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Farbkarte #13

B.I.G.



ATEM
 VIENSEM
 R O
 RENDO ATQVE
 ISSIMO
 THEODORO
 GKIO
 TATIS TORGAVIENSIS
 ISSIMO
 SPICIA GRATVLATVS
 NDABAT
 NVEL SCHVVARZIVS
 AVIAE,
 RÜDELIANIS.

